

tur; quod ipse dæmon (qui se Wiggonem vocabat) exposuit in puella obsessa, oriunda ex pago Hecgestadt, Latina lingua perorans, uti refert Eginhardus cancellarius Caroli M. postea monachus Benedictinus et abbas Selingstadiensis, in cap. XIII. lib. III. de translatione sanctorum martyrum Petri et Marcellini, 2. junii, apud Sur. coram reliquiis et in templorum martyrum, his verbis: « Cum presbyter miraretur atque interrogaret, unde illi Latine linguae notitia, cum parentes ejus, qui ibi praesentes astabant, hujusmodi sermonem penitus ignorarent: Parentes, inquit, meos nunquam vidisti. Tum presbyter: Tu ergo, inquit, unde es, si isti non sunt parentes tui? Et dæmon per puellam: Ego, ait, sum satelles atque discipulus Satanæ, et multo jam tempore apud inferos janitor fui: sed modo per annos aliquot cum sociis meis undecim regnum Francorum vastavi, frumentum et vinum et omnes alias fruges, quæ ad usum hominum de terra nascuntur, juxta quod jussi eramus, enecando delevimus, pecora morbis interfecimus, luem ac pestilentiam in ipsos homines immisimus: omnes quoque adversitates et cuncta mala, quæ jamdiu pro meritis suis patiuntur, nobis facientibus atque ingredientibus eis acciderunt. Hic cum ab eo presbyter quaereret, quam de causa ei fuisset hujusmodi concessa potestas: Propter malitiam, inquit, populi hujus, et multimodas iniquitates eorum, qui super eum constituti sunt; qui munera et non justitiam diligunt, qui plus hominem, quam Deum metuunt, qui pauperes opprimunt, viduas et pupillos ad se vociferantes exaudire nolunt, nulli justitiam nisi mercanti faciunt. Preter hæc sunt alia multa et innumerabilia pene, quæ tam ab ipso populo, quam a rectoribus ejus quotidie committuntur, ut sunt perjuria, ebrietates, adulteria, homicidia, furta, rapinæ; quæ nemo fieri prohibet, et cum facta fuerint, non est qui vindicet. Potentiores quippe turpibus lucris inserviunt, et loco superiore, quem propter regendos inferiores acceperunt, ad superbiam et inanem gloriam abutuntur: odium et invidiam non tam inter extraneos, quam inter propinquos et affinitate conjunctos exercent: amicus amico non credit, frater fratrem odit, pater filium non diligit. Rari sunt qui fideliter ac devote decimas dent, rariores qui eleemosynas faciant. Et hoc ideo quia quidquid Deo vel pauperibus dare jubentur, id sibi perire arbitrantur. Iniquas mensuras et injusta pondera contra Dei præceptum habere non verentur: fraude se alterutrum circumveniunt, falsa testimonia dicere non erubescunt: dies dominicos ac feriatos non custodiunt: sed in his, ac si in cæteris, prout voluntas eorum tu-

lerit, operantur. Propter hæc et alia multa, quæ Deus aut præcepit hominibus ut facerent, aut prohibuit ne facerent, quia populus hic per contumaciam mandatis ejus inobediens factus est, permissi, imo jussi, sumus ea facere in rebus humanis, quæ superius enumeravi, ut perfidiæ suæ poenas luant. Sunt enim perfidi atque mendaces, cum hoc servare non curent, quod in baptismo promiserunt. » Huc usque cum perorasset dæmon, tandem vi ss. martyrum coactus, projecit puellam in pavementum: quæ non paulum sana surrexit, nihil vero amplius Latine loqui potuit; ut palam esset, non eam per se, sed dæmonem per os ejus fuisse locutum. Subdit deinde Eginhardus: *Heu pro dolor, ad quantas miseras tempora nostra sunt devoluta, in quibus non boni homines, sed mali dæmones doctores sunt! Et incoctores vitiorum ac persuasores criminum, de nostra nos correctione commonent!*

CONCIO III.

QUATUOR DRACONES INSATIABILES: IRA, LUXURIA, GULA, AVARITIA.

Quatuor insatiabiles dracones. — I. Infernus, seu avaritia. — II. Vas mulieris, seu luxuria. — III. Terra, seu gula et ebriositas. — IV. Ignis, iracundia seu vindicta.

THEMA.

Herodes, videns quoniam illusus esset a magis, iratus est valde, et occidit omnes pueros. Matth. II.

Mali et infausti ominis est nomen Herodis, draconem enim ignitum significat lingua Syriaca; ex ierud, quod est draco, et et, quod est ignis, ut exponit Arias Montanus in apparatu. Profecto pessimi hominis pessimum vocabulum. Quis enim non abhorret vel ab ipso draconis aspectu? Dicuntur esse aut certe fuisse dracones, qui armenta boum cum pastoribus vi spiritus ad se attraherent atque sorberent, uti ille, quem S. Hilarion exussisse fertur a S. Hieron. in vita ejus: alii ignes evomere, apud Lessæum in sua Scotia, anno 1358. Et talis sane Herodes erat, qui furem velut ignem spirans, maximum parvulorum absorbit gregem. Quocirca ad ipsum alludens Joannes, Apocalyp. XIV. ait: *Draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura, ut cum peperisset, filium ejus devoraret.* Insidiatus est certe Filio Deiparæ, sed spe sua fraudatus, ejus loco absorbit gregem parvulorum. Cæterum draco iste male jamdudum periit: reliquit tamen semen aliquod, sui non absimiles dracunculos; quos hic in lucem producere, et si fieri potest, extinguere conabimur.

Salomon, Prov. XXX. quatuor esse dicit quæ nunquam satiantur, ac proinde jure merito dracones appellari possunt, quia et ipsi voracissimi et insatiabiles sunt. *Tria sunt insaturabilia, inquit, et quartum, quod nunquam dici sufficit: Infernus, et os vulvæ (libido inquam) et terra, quæ non satiatur aqua: ignis vero nunquam dicit, sufficit!* Quatuor hæc quasi totidem dracones sunt insaturabiles. Infernus avaritiam insinuat, vas mulieris luxuriam, terra gulam et ebrietatem, ignis iracundiam.

I. Infernus avaritiam non male depingit. « Infernus enim quantoscumque devoraverit, nunquam dicit satis est: sic etsi omnes thesauri confluerint in avarum, nunquam satiabitur, » inquit Divus August. in lib. de salut. doc. c. XXX. et S. Basilius, orat. XV. de avaritia: « Ut Pluto infernus nunquam dicit satis sibi esse, sic nec avarus illam vocem ullo tempore protulit, sufficit. » S. vero Chrysost. hom. XXIX. in Matth. « Avarus in omnes, ut mors insiliens, omnes ut infernus deglutiens, communis generis humani hostis, quippe nullum hominem esse vellet, ut omnia possideret: » et Sanctus August. sermone XV. de diversis, cap. XV. « Quomodo sunt divitiæ, quibus crescentibus, crescit inopia? Quæ amatoribus suis quanto fuerunt ampliores, non afferunt satietatem, sed inflammant cupiditatem? Nam vidimus quosdam, cum haberent parvam pecuniam, parvis lucris fuisse contentos: sed postquam cepit eis abundare verum quidem corpus auri et argenti, sed tamen falsæ divitiæ, cum parva obtuleris, jam recusant: credis jam esse eos satiatos; sed falsum est. Nam major pecunia avaritiæ fauces non claudit, sed extendit: non irrigat, sed accendit: poculum respuunt, quia fluvium sitiunt. » Sic ille. Exemplum habemus in Achab rege, qui non contentus suis opibus et vineis, etiam vineam pauperis Naboth, sibi vicinam appetiit, et adeo quidem, ut, ea negata, projecit se in lectulum et averterit faciem suam ad parietem, nec comederit panem, III. Reg. XXI. sic nimirum: « Lugent divites, ait Sanctus Ambrosius, lib. de Naboth, cap. IV. si non potuerint aliena diripere. Dormire desiderant, velant faciem, ne quidquam in orbe terrarum alienum videant etc. » Bene appellantur dracones magni, qui boves et armenta devorant, ut dixi: nihilo meliores videntur esse avari qui non quiescunt, donec vicinos suos absorbeant, si possunt.

Deinde, sicut in inferno non nisi cruciatus et tormenta sunt, ita et in avaritia. Cruciantur enim avari dum aspiciunt alienas opes, suis præsertim majores: cruciantur, dum suas vel ipsi coguntur impendere et absumere, vel ab aliis etiam domes-

tis suis absumi vident. Notum puto quod refert Æneas Sylvius, in hist. Bohem. c. XXXV. de Albico, avarissimo homine, qui ex medico episcopus Pragensis factus, dixit: *Nullum sibi strepitum esse molestiorem, quam maxillarum ossa frangentium.* Ergo sicut apud inferos est stridor dentium, ita et apud avaros, qui stridorem dentium, in mensis suis comedentium, iniquissimo animo et cum dolore ferunt. Ad stridorem dentium accedit fletus et lamentatio, quibus urgentur avari, cum sua per infortunium perdunt, vel per mortem deserere coguntur: vel sperata non acquirunt lucra, vel metuunt perdenda, juxta id poetæ: « Ploratur lacrymis amissa pecunia miris. » Fuit etate nostra (inquit Poggius Florent, in disceptatione de avaritia) avarus, qui in ipso mortis limine afferri jussit pelvim nummis aureis plenam, opem subsidiumque ab eis orans, quos tamdiu velut animam servasset, subinde murmurans: Eheu! quibus vos relinquam?

In inferno est clamor et ejulatus: itidem in avaritia, cum damna aliqua patitur. Ægrotabat quidam Euclio, nomine Anton. Urceus, et aræ nummarie clavem nocte clam subreptam e pulvinari animadvertit: inde in tantam animi angustiam incidit, ut duobus diebus continuis ante mortem, nihil fere aliud vociferaretur, quam ut serjñi clavem sibi darent, uti Barthol. Bernoniensis, in vita ejus habet. In inferno est vermis semper rodens: non secus in avaritia, quæ cum ab iniquis bonis vix unquam sit immunis, semper eis incubantem et rodentem vermem alit; qui sane Judam adeo torsit, ut ei opprimendo laqueum eligeret. Denique, rodit animum curis et anxietatibus, quibus sæpe somnum adimit. Unde Ecclesiastici XIV. dicitur: *Insatiabilis oculus cupiditatis: non satiabitur donec consumat arefaciens animam suam.* Uti nimirum lychnus ardens attrahit oleum, et tandem suo se igne consumens extinguitur.

II. Vas generationis, seu ut habent Septuaginta *amor mulieris*, de quo S. Hieronymus contra Jovinian. ait: « Non hic de meretrice, non de adultera dicitur, sed amor mulieris generaliter accusatur, qui semper insatiabilis est, qui extinctus accenditur, et post copiam rursus inops est, animumque virilem effeminat, et accepta passione, quam sustinet, aliud non sinit cogitare, nec ipse usu extinguitur, sed immoderatus ac vehementius inflammatur. » Est igitur libido instar draconis, qui cauda sua involvit et ligat, ligatumque prosternit, etiam elephantem, ut scribit Plinius, lib. VIII. cap. XIII. Isidorus et alii. Sic enim et luxuria prostravit fortissimum Samsonem, sanctissimum Davidem, sapientissimum Salomonem.

adeoque involvit ac ligavit, ut Samson quidem meretrici (talibus enim appellatur a Josepho et Sancto Ambrosio, epist. LXX. et plerisque aliis) fortitudinem suam, licet ter jam ab ea in manus Philistinorum impulsus proderet, adeoque pueris ad extremum ludibrio fieret: David vero pro nihilo duceret jacturam sui exercitus cæsi in prælio, modo adultera potiretur: Salomon denique meretricum suarum idolis innumeris adhereret.

Draco nimio calore æstuans, adeoque sitibundus, elephantis sanguinem ebibat: ita et impurus ardens æstu libidinis exhaurit vires corporis et accelerat sibi senium, quod in Salomone patet, qui III. Reg. XI. dicitur adamasse mulieres, cum jam esset senex. Quomodo senex, cum quadraginta annis tantum regnavit et duodecimo ætatis anno rex inunctus sit (ut cum Hieronymo sentiunt communiter) adeoque quinquaginta duo tantum annis vix erat? Nimirum, quia sua libidine vires adhuc juveniles enervavit, sicque senium ante tempus sibi acceleravit.

Deinde, exhaurit substantiam, juxta id Prov. XXIX. *Qui nutrit scorta, perdit substantiam.* Quod in eodem Salomone patet, qui tantas suas divitias in suas meretrices et uxores adeo prodegit, ut subditis importabile jugum censuum et tributorum imponere coactus sit, de quo lamentati postea sunt filio ejus, III. Reg. XII. Idem ostendit parabola de filio prodigo, qui, vivendo luxuriose, devoravit substantiam suam, ut bubulcum demum agere cogere.

Denique, ebibat mentem et rationem, quodque omnium deterrimum, vitam animæ ac salutem, dum ægre admodum hominem permittit respicere. Hinc Ose. IV. dicitur: *Fornicatio, vinum et ebrietas auferunt cor.* Bene et Diogenes dixit scorta esse regum reginas, quod eos nutu suo regerent et quaquaversum vellent, facile impellerent. Hujusmodi erat illa, quæ describitur III. Esdr. IV. his verbis: *Videbam Apemen filiam Bezacis, ait Zorobabel, mirifici concubinam regis, sedentem juxta regem ad dextram, et auferentem diadema de capite ejus et imponentem sibi, et palmis cædebat regem sinistra manu: et super hæc aperto ore intuebatur eam, et si arriserit ei ridet; nam si indignata ei fuerit, blanditur, donec reconcilietur in gratiam.* Annon mentem eripuit regi huic libido? Annon Galeacio Mantuano, qui cum Papiæ hibernaret et in fluminis Padi ponte equitans obviam amasiam haberet, ab ea his verbis provocatus: *Quin tu, amator egregie, mei amore in Padum desilis?* Concitato repente equo, ex ponte desiliit in fluvium; ubi equo demerso, ipse vix natando evasit? Pontan. libro II. cap. XXV. de fortit. Quid insanius,

quid stultius, quam ad jussum leviculæ puellæ in præsentissimum atrocissimæ mortis periculum se conjicere, non solum temporalis, sed etiam æternæ? Ubi mens? Ubi ratio?

III. Terra, quæ non satiatur aqua. Hæc aliud non videtur esse nisi gula et ebrietas: quia sicut arena seu terra arida, nullis satiari pluviis, ita nec illa cupediis potest, quin semper novas et delicatiores expetat, fastidio consuetarum. Ita enim testatur Sapiens, Proverb. XIII. *Justus comedit et replet animam suam: venter autem impiorum insaturabilis.* Qua vero ratione? Numquid fundum non habet, aut immensus est? Non sane; sed primo, quia plus edere et bibere appetunt, quam stomachus ferat aut capiat. Satiata enim impiorum gula dolet quod plus sorbere seque magis ingurgitare nequeat. Hinc modos cogitat se evacuandi, ut iterum se ingurgitet: vomit, ludit, laborat, ambulat, ut famem obsonet, et appetitum excitet, cum nullum sentit; similes Charybdi, quæ est fretum angustum inter Italiam et Siciliam, et ter in die erigit fluctus terque absorbet, nam: *Accipit aquas ut vomat, vomit, ut rursus accipiat,* ait Plinius, lib. XIII. c. XVIII. quo modo nimirum illi edunt ut vomant, vomunt ut edant. Dipsade serpente ictos tales diceret? Illorum enim ictum sequitur inexplebilis bibendi aviditas, ut quanto quis plus bibit, eo plus desideret, Ælian. l. VI. de animal. c. LI.

Secundo, quia variis condimentis saporem cibo et potui, licet per se bono et sapido, majorem quærunt et conferunt, gulæque pruritum acunt. Ficus non sat sapiunt, nisi glacie aut nive frigeant; quo cibi condimento dum avidius fruitur Pompeius Columna, Neapolitanus prorex, in complexu Augustini Niphi philosophi, integris sensibus extinctus est, anno ætatis 53. apud Jovium in vita. Vinum æstate non sapit, nisi similiter ex glacie aut nive. In quam bibendi consuetudinem invehitur et exclamat vel ethnicus ille Plinius, libro XIX. capit. IV. « Heu prodigia ventris! (inquit). Hi nives, illi glaciem potant, pœnasque montium in voluptatem gulæ vertunt. Servatur aliorum æstibus, excogitaturque ut alienis mensibus nix algeat; » quasi diceret: Faciunt hœmem ex æstate, ut gulæ satisfaciant. Notent hoc Christiani delicati; uti et illud, quod Seneca scribit, libro de consol. ad Helviam, cap. IX. « Non est necesse (inquit) omne perscrutari profundum, nec strage animalium ventrem onerare, nec conchyliâ ultimi maris ex ignoto littore eruere. Dii istos deæque perdunt, quorum luxuria tam invidiosus imperii fines transcendit. Ultra Phasin capi volunt, quod ambitiosam popinam instruat, nec piget a Parthis, a quibus nondum pœnas repetimus, aves petere:

undique convehunt omnia vota fastidienti gulæ. »

Tertio, quia fere potandi et convivandi finem nesciunt, sed diei sæpe noctem jungunt, ut eorum vita nil aliud esse videatur, quam *ingerere, digerere et egerere*, ut dixit Sanctus Bernardus. Hujusmodi est charadrius, ales non modo profundæ sed et fœdæ voracitatis, qui dum avidè pabulatur, statim digerit (tanta est in eo vis caloris) et inter comedendum crebro ventrem exonerans egerit, ut novo pabulo quasi recens et jejunos sufficiat, Plato, in Gorgia apud Caussin. libro IX. symbol. capite XXXIX.

Quarto, quia illorum animus totus et continuo est in patinis et calicibus: *Quando evigilabo, inquit, et rursus vina reperiam?* Proverb. XXIII. Talis Quatarupus, qui apud Moravos ultimus regnavit. Hic cum, se absente, regiam conflagrasset didicisset, interrogavit nuntium, an cella vinaria salva esset; eoque respondente, absumptis cæteris, illam intactam igni superfuisse: *Et nos igitur, inquit, salvi ac læti sumus.* Æn. Sylvius, in comment. Panorm. lib. IV. c. XXXIV. Bene igitur hoc vitium draconem appellamus, et terram arenosam, quæ propterea sterilis est, quia semper sitiens, quemadmodum et draco, pestis hominum et pecorum.

IV. Ignis nunquam dicit sufficit. Iram et vindictæ appetitum ignis repræsentat. Quis enim nescit iratum igne inflammari et ignem quasi spirare ex oculis, vultu, ore naribus totoque corpore? Unde Sanctus Basilius, homil. de ira ait: « His, qui ad vindictam anhelant, ita circum præcordia sanguis fervet, quasi vi ignis ebulliat atque exæstuet. » Jam sicut ignis primo quærunt undique pabulum suum, quod devoret, etiam ultra plateam sese extendendo ad vicinas domos, ut eas inflammaret: ita qui vindicta æstuat, quærunt ubique inimicum suum, ut ei noceat, vel omnino vitam eripiat, nec interim quiescit. Fuit sane qui, elapso sæculo, ex Lusitania in Indiam navigaret, ea sola intentione, ut inimicum suum in India existentem interficeret, quia a p. Arboreda s. n. habita concione de dilectione proximi, compunctus, et ad saniolem mentem reductus est, ut habetur in II. tomo histor. societ. nostræ apud Sacchin. anno 1560. numero CCLXXXIII. Bene igitur Ecclesiasticus dixit: *Anima calida quasi ignis ardens non extinguetur, donec aliquid glutiat, sanguinem sc. capite XXIII.*

Secundo, ignis non quiescit, donec omne pabulum, tam proprias quam alienas ædes, semel inflammatus in cinerem et favillam redigat: sic et iracundi sæpe eo progrediuntur, ut nemini prorsus parcant, sed amicos etim et parentes

invadant, imo proximum, quemque etiam ignotum, a quo nunquam vel minimum læsi fuerunt; ac, si totam communitatem aut civitatem possent evertere, nihil id pensi haberent; ad instar luporum, qui non contenti unam capere oviculam, omnes, quotquot in caula sunt, jugulant, licet unicam tantum auferant. Hujusmodi lupus et vastator imperii fuit Caius Caligula imperat. perversissimus, qui optabat ut totus Rom. populus unicum collum haberet, quo simul universum unico ictu obruncare posset, Sueton. in Calig.

Tertio, ignis etiam sub cineribus quasi sepultus, adhuc vivit et sæpe incendium excitat. Irati sæpe etiam morientes non modo retinent iracundiam et vindictæ appetitum, sed vehementius etiam exerunt; sicut et bestiarum, præsertim noxiarum, morientium morsus solent quam maxime esse mortiferi. Visum hoc est in Herode, qui imminere sibi mortem cernens, nobiliores a toto suo regno ad se evocavit, minaci edicto pœnam capitis intentante non parentibus, congregatosque universos conclusit in circo, accitaque sorore Salome, et marito ejus Alexa, per mutuam fidem perque omnia sacra eos obtestatus est, ut quamprimum ipse obiisset, juberent eos circumventos una omnes militum jaculis configi et obruncari; adeoque ex singulis familiis uno aliquo sublato, totam gentem in luctum conjicere volebat, ut Judæi funesto suo interitu ipsi parentare cogere, uti refert Josephus, libro XVII. antiq. cap. VIII. Ita nimirum draco iste sanguinem subditorum suorum etiam post mortem suam sitiabat et haurire volebat; quod tamen non obtinuit, sed ipse potius in desperationem actus, manum sibi violentam inferre volens, in summis doloribus et luctu periit. De dracone scribit Solinus, cap. XXXVIII. polyhist. et Plinius, lib. VIII. cap. XI. quod elephantem invadat et spiris involutum, ubi sanguinem ejus ebibat, in terram prosternat; verum a cadente bellua ipse opprimatur, et tum diras ac lamentabiles voces emittat, adeoque planctum ipse sibi faciat, qui plangere elephantem fecit. De hoc Michaas, cap. I. ait: *Faciam planctum velut draconum,* hoc est, miserabilem. Supra audivimus Herodem et re et nomine draconem ignitum fuisse, præsertim quando Bethlehem invasit et omnem ejus infantilem sanguinem truculentus exhausit. Verum id nequam inultus fecit, nam variis morbis oppressus et lento calore intus viscera depopulante, tostus, a vermibus quoque exesus, in sua demum viscera sævire conatus est, cultello, quo pomum repurgabat, jamjam se ferire volens, ni Achiabus nepos, ictum præveniens, clamore sublato cohibisset ejus dexteram. Filium Antipatrum, etiam velut

regni insidiatorem, summe indignatus et sibimet caput verberans, occidi mandavit, quinto ante obitum suum die, ut refert Josephus, lib. XVII. c. IX. Sicque miser iste draco cum mortis suae planctu ad æternum inferorum planctum migravit. In hoc exemplar aspicere debent Herodiani,

qui et ipsi cum dracones quidam insatiabiles sint, multos plangere faciunt; quid tandem ipsi expectandum sit, planctus utique draconum, qualis diu noctuque auditur apud inferos, ut eo per considerationem nunc audito, effugere eum possint, ne sentiant ibi per aures.

IN FESTO S. SILVESTRI PAPÆ.

CONCIONES.

- I. Quo fine lumbi nostri præcincti esse debeant.
- II. Cingulum castitatis cui comparandum.
- III. Quatuor cingula viatorum.
- VI. Varii dracones debellati a Silvestro.

CONCIONES AUCTARII.

- I. Quo fine lumbi nostri præcincti esse debeant.
- II. Cingulum castitatis cui comparandum.
- III. Quatuor cingula viatorum.
- IV. Varii dracones debellati a S. Silvestro.

CONCIO I.

QUO FINE LUMBI NOSTRI PRÆCINCTI ESSE DEBEANT.

I. Ad peregrinandum in cœlum. — II. Ad bajulandum. — III. Ad laborandum. — IV. Ad militandum. — V. Ad ministrandum. — VI. Ad natandum et transvadandum.

THEMA.

Sint lumbi vestri præcincti. Luc. XII.

Fuit apud veteres multos, nota alicujus probri, necnon mali ominis, cingulo carere. Probrum certe fuit militibus, quorum uti militare insigne præcipuum erat balteus seu cingulum: (quod ex balteo Jonathæ colligitur, I. Reg. XVIII.) ita maxima ignominia et pœna erat, balteo spoliari. Unde Augustus Cæsar teste Suetonio, milites delinquentes jussit pedibus stare discinetos, ad sui confusionem. Erat enim indicium hominis ignavi, dissoluti et male compositi atque ad res gerendas inidonei: unde emanavit illud: *Discincta vestis, discinctus animus*; sicut e contra homo præcinctus pro industrio habebatur. Certe Julius Cæsar adhuc puer, quod laxius etiam adeoque negligentius esset præcinctus, notabatur de malo omine; Sylla optimates sæpius admonente, ut *male præcinctum puerum caverent*, Sueton. in Jul. Cæsare. Apud Carthaginienses quoque discinti ducebantur postremi homines, Alex. ab Alex. I. I. c. XX. Idem mihi videtur a Judæis observatum fuisse, qui cum talaribus uterentur vestitus, eas præcingere solebant. Verum quidquid de hoc cingulo sit, majus longe probrum est homini christiano, carere cingulo animi, quam olim fuerit carere zona vestitum: id enim multo certius hominis ignavi et dissoluti signum est. Quare hoc probrum ut a nobis tolleretur Christus, in hodierno evangelio mo-

net: *Sint lumbi vestri præcincti.* Verum in quem finem vult nos accinctos esse? Utique in eum, quo accingi solemus ad opus aliquod aggrediendum; veluti:

I. Ad ambulandum, et peregrinandum in cœlum absque remora et impedimento rerum sæcularium. Ita exponit S. Augustinus, lib. II. quæst. evang. c. XXV. Tertull. I. IV. contra Marcion. Et huc potissimum collimat Christus, quia præmiserat quærendum ante omnia regnum cœlorum, et thesaurum in cœlo parandum. Eo igitur nos mittere volens, jubet ut lumbos nostros præcingamus, quod solent facere, qui ad iter se accingunt, pedibus confiendum. Quo fine etiam præcepit Hebræis profecturis ex Ægypto in terram promissionis: *Renes vestros accingetis*, Exod. XII. quo videlicet expeditus pergere via longa et aspera possent; siquidem vestes talaris gressum impediunt, dum perpetuo verberant pedes et gravant. Tali modo Elias ante Achab *accinctis lumbis*, III. Reg. XVIII. Vestes talaris sunt bona terrena, quibus onerati difficulter sane progredi ad vitam æternam possunt. Scimus Heraclium imperatorem quando sacram Christi crucem e civitate Jerosolyma in montem Calvarie suis humeris efferre cepit, progredi non potuisse, sed in porta sistere coactum, utpote auro et gemmis onustum, imperialique paludamento impeditum, quæ ubi ex consilio patriarchæ deposuit et vulgarem habitum induit, sine difficultate reliqua iter confecit, ex brev. Rom. Idem accidit Christianis, qui crucem Christi in se gestandam susceperunt; solent enim, si bonis terrenis onusti sunt, impediri vehementer a progressu, et plerique omnino sistere atque in luto hujus mundi hæerere. Quare quid ad hoc iter expediti esse volunt, pondus hoc cum Heraclio omnino abjiciunt, et pauperculum in-